

180

178

184

174

189

169

229

129

279

079

Ende

Anfang

169

retrix Judaeum admittat putans Christianum. Et hoc statutum
jam innovatum est in ultimo Synodo Moguntina, praesidente Car-
dinali ad Vincula, domino Nicolao de Cusa, et gravibus poenis
vallatum. Et secundum leges lenones prostiuentes foeminas fide-
libus et pretium recipientes puniendi sunt poena capitis, qua poena
digni sint illi archilenones, qui prostituunt filias Christianorum in-
fidelibus pro mercede, dijudicet vir prudens. Scimus enim lege
prohibitum et interdictum conjugium ratione diversi cultus.
Exod. 34, Deut. VII. et in Canone, ubi supra cap. Judeorum etc.
Cave Christiane! Si ergo Christianus graviter peccat tradens filiam
suam in conjugium Judaeo vel Sarraceno, quam gravissime ille
peccat tradens alterius filiam omnibus, ut prostitutionis habeat
pecuniam?

Hoc nefas nullo pacto, nulla ratione admitterent nec Ju-
daei nec Sarraceni, ut scilicet Judaea vel Sarracenica esset Chri-
stianis exposita. Imo legem illam Lev. 19. hodie servant, quae
dicit: ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra et implea-
tur piaculo. Nec sustinent, de filiabus suis esse scortum inter
se, servantes illud Deut. 23. Non, inquit, erit meretrice de filia-
bus Israel nec scortator de filiis Israel. Sed hac causa, quod
habetur Ezechiel XVI., videtur loqui de ecclesia, vel potius de
ecclesiae perditissimis filiis, ubi inter multa dicit: aedificasti tibi
lupanar et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis et abomina-
bilem fecisti decorem tuum et fornicata es cum filiis Aegypti.
Plateae sunt civitates gentilium, quae non habent personas in
lupanaribus, nisi Christianas. Nam audivi, in Cairo esse grande
lupanar, plenum foeminis Christianis, similiter et in Damasco et
in Baruto et Tripoli, sicut et in Alexandria et Constantinopoli.
Et per hoc profecto decor ecclesiae redditur multum abominabi-
lis. (133 a) Melius quodammodo stant homines in foro vendi-
tioni expositi, quam istae misellae prostitutae pro tanto pretio;
nulla enim in civitatem intromittitur, nisi sub porta solvat in promtu
XXX ducatos, et iterum nulla exire umquam permittitur nisi ite-
rum sub porta eundem numerum ducatorum solvat sine defectu
et ita oportet, quod misera illa turpissima arte lucretur LXXXV
florenos tantum ad solvendum pedagium, demitis expensis suis et
sui lenonis, qui etiam nutrit (se) de pretio prostibuli, propter
quod eam prostituit. Sunt ergo Sarraci in hoc Christianis me-

